

ALEXII SYMMACHI —
MAZOCHII


Canonici Neapolitani & Regii
Sac. Scripturæ Interpretis

EPISTOLA

Qua Veterem

INSCRIPTIONEM CHRISTIANAM

*Nuper in Cæmeterio Prætextati via Appia
detellam, interpretatur, & illustrat.*



ROMÆ, MDCCXLV.


EX TYPOGRAPHIA PALLADIS
APUD FRATRES PALEARINOS.

SUPERIORUM FACULTATE,

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO
D O M I N I C O G E O R G I O

Ab intimo Sanctissimi Domini Nostri Sacello

A L E X I U S S Y M M A C H U S M A Z O C H I U S
S. D. P.



U M Canonico Bernardo Cangiano V. Cl. egi
privatum gratias , quod mandata tua ad me dili-
genter preferenda curavit ; tum vero in primis
Tibi , Vir eruditissime , pro eo quanti me fece-
ris, ingentes ago ; qui de Inscriptione pulcherri-
ma , nuper in Cœmeterio Prætextati detecta , judicium meum ex-
quisieris . Ea vero Inscriptio talis est :

HIC REQVIE SCE T IN
P ACE FF DE CVSTITVT
VS I LARVS Q VI VIXIT
ANNVS PEM S XXV



Quo in Epigrammate , uti significas , illud doctissimo cuique sali-
vam movit , ecquid sibi velit illa formula *Pide cunctus* , sive

A 2

constitutus. Merito id quidem. Verum quod ea de re sententiam a Te rogor, n*æ* Tu facis hoc pro consueta moderatione, & civilitate tua. Qui si de tua me opinione præmonuisses, & omni me labore levasses, & consuluisses existimationi meæ. Quid enim proprius fuisset, quam ut in tuam pedibus irem sententiam? non ut ex principibus senatoribus unus, sed ut ex pedariis scilicet. Nunc, quando face tua me carere voluisti, cogor in incerto opinionum, sic tamquam in solo lubrico vestigia figere. Verum quando ita mecum actum esse voluisti, quid restat, nisi ut perficta prius fronte, sic demum ad istam existimationis meæ aleam jaciendam audacter progrediar? Ajo igitur, & quovis deposito pignore, si eo usque adigar, contendo, illud *Fide constitutus* tantumdem esse, quod *Fidelis*, sive Baptismo initiatus.

Jam primum omnium (ut inde usque ordiar) veteris Virorum eruditorum querelæ de Christianarum inscriptionum obscuritate, non aliam magis idoneam causam afferre posse mihi videor, quam sacrosanctam arcani disciplinam, qua per illa priora secula Religionis Mysteria celabantur. Ea, inquam, disciplina in Christianorum Epitaphiis mire prorsus se prodit, in quibus non tantum Christi nomen obscura Monogrammatis nota obtegitur, verum etiam ejus sacratissimæ Sectæ cultores sive per scalpta navis, anchoræ, oleæ, columbæ (& que sunt plura ejuscemodi) hieroglyphica symbola designabantur, sive per consuetum illud, sed tamen notionis incertæ (a) *Benemerentis* vocabulum, cui etiam *Pacis* vocem plerumque adjungebant, sed quanam potissimum intelligentia (b), nonnisi initiatis, non item exteris, assequi promptum erat.

Po-

(a) Supervacaneum est de *Benemerentis* epitheto exempla hic afferre, quum vix illa Christiana Epigraphe reperiatur, in qua defuncto non id adjunctum tribuatur: in tantum, ut vel si nulla Christianismi nota in sepulcralibus titulis residet, uno tantum expressio *Benemerentis* elogio, pro Christianis habeantur. Verum de significatu nihil dum vidi scriptum. Sane vero nemo dubitat, quin sit epitheton Christianorum διοργικῶν discriminans. Videtur ergo ad *Meritum* notione theologica ea vox referri. Eoque pertinet illud apud Reinesium clas. xx. num. 102. *Pro innocentiâ suâ bene merentis*. Id vero classius percipitur ex adjuncto plerumque *Pacis* vocabulo in huic modum, *Benemerenti in pace*: nam *Pax*

etiam religioso significatu sumitur, de quo mox.

(b) Illud *in Pace*, quod in Christianis titulis vix usquam deest, non dubito, quin de pace Ecclesiastica sit accipendum, sive de communione, per quam, veluti glutinum, membra in unum corpus coalescunt. Reperitur & nonnumquam mutila formula *Te in Pace* (cujus exempla plura Fabretus afferit, quæ mihi videtur initium hymni, aut precationis fuisse, quam fideles defuncto in Ecclesiæ pace accinere consueverant, ferme ut nos Carmen *Requiem aeternam*, aut *Similia* modularunt. Apud Reinesium Cl. xx. num. 16. scribitur *In pace Christi*.

Postremo, ut, prætermisssis cæteris, ad propósitam quæstionem me referam: si quando de Baptismate injici mentionem placuisset, non nisi per ambages, & mutiendo magis, quam eloquendo, id fiebat, cuius rei exempla, quæ ad manus habeo, subjicere non pigebit.

Nam quid, rogo, aliud nisi mera ænigmata illa sunt, *Percepit*, aut *Accipit* absolute, & sine ullo casu posita? Et tamen hisce dimidiatis locutionibus nostri homines in suis tumulis mersionis mysterium innuebant. Harum formularum priorem a me pridem repertam in Syntagmate Inscriptionum Gudiano pag. 319. 18. [ubi sic scribitur: *Eufronia.... nata pridie Kal. Novembris, percepit (supple Baptismum) tertio Idus Aprilis. Decessit pridie Kal. Majas*] ad Baptismum perceptum retuleram. Sed in ea me opinione postmodum confirmavit celebris altera Fabretti Inscriptio pag. 577. num. lxx., ubi: *Pascchasius percepit (haud dubie Baptismum) xi. Kal. Majas, & albas suas Octabas Pascæ ad sepulcrum depositus*. Jam vero accipiendi verbum in eadem re, per quam obscure usurpat Fabretti altera Inscriptio pag. 574. num. lxi., quam memini me alicubi exposuisse. Hinc etiam *acceptio* non aliud est, quam Baptisma apud eundem Fabrettum pag. 563. num. xxxix., ubi: *Kampanus postquam vi xerat annos 35. demum ex die acceptio suæ (i.e. Baptismi) vixit dies xvii. Quas postea arcanas locutiones etiam profani ad sua sacra transtulerunt: cuius rei exempla sane complura non est opus (a) huc afferre.*

Unum autem ex arcanis hisce Baptismi nominibus celeberrimum illud fuit, ut is ritus *Fides* appellaretur. Cujus appellatio pliores sunt antiquorum chartæ, quam ut id demonstratione indigeat. Itaque apud Tertullianum sexcentis locis *Ante Fidem, & Post Fidem* tantumdem est, quod *ante, & post Baptismum*. Videatur præ ceteris lib. de Pudicitia cap. 18., & alibi passim. Sed & eodem libro illud *Fidem ingressa* eo pertinet, quod Baptismus veluti janua Christianæ Religionis habebatur. Ad hæc protrita illa apud antiquos phrasis, *Fidei Sacramentum* quid aliud notat, quam *Sacramentum lavacri?* Idem Tertullianus lib. de Anima non longe

A 3

ab

(a) Veluti in sacris Taurobolii, de quibus in marmoribus legitur: *Taurobolio, Criobolioque percepto*. De Isiacis Ambrosius epist. ad Sabinum: *Si quando Isidis suscipimus sacra*. Sic in Cereris sacrâ μυστήρια παραπλαινάεται, hoc est *Mysteria accipere*: & in Mithriacis τὰ Λεοντίκα παραπλαινάεται h. e. *Leonica accipere*, usurpabatur. Spartanus de Hadriano cap. 13. *Eleusinia sacra suscepit*. Quam phraselogiam, ut & alios quosdam ritus ad eadem sacra pertinentes Ethnici, nostrorum arcanorum rimatores, a nostris arripuerunt; quod pluribus possem ostendere, si id agerem.

ab initio : *Cui enim Veritas comperta sine Deo ? cui Deus cognitus sine Christo ? cui Christus exploratus sine Spiritu Sancto ? cui Spiritus Sanctus accommodatus [i. e. datus] sine Fidei Sacramento ?* Verum ne multa : nam neminem unum futurum opinor, qui negare ait, *Fidei nomine apud antiquos venisse Baptismum : imo non nisi percepto Baptismate a Fidei nomine Fideles nuncupatos . Quare quum Fides sit Baptismus ; quid aliud relinquitur , nisi ut Fide constitutus idem plane sit, quod Tinctus , idest Baptismate iniciatus ?*

Verum quid, inquis, in hac Epigraphe id eloqui necesse erat; quum qui Christianus, idem continuo & baptizatus fuerit? Atqui ego nego, tunc ætatis, quum Baptismus quibusdam [a] de causis ad multam ætatem a pluribus prorogari solebat, omnes, qui Christiani essent, eos continuo etiam Baptismate lotos fuisse. Nam contra illa erat tunc temporis Christianorum summa divisio in *Catechumenos*, & *Baptizatos*: posteriores autem non aliter ferme, quam *Fideles* [a Fide h. e. Baptismate] vocabantur. A *Fidei*, inquam, *Sacramento*, non a virtute *Fidei*, *fideles* id ibi nomen adsciverunt; nam ceteroqui jam tum, quum Christo nomen dederunt, & Pastorum catechesibus aures admoverant, *Fidem*, quatenus est *Virtutis* nomen, imbiberant, sed non continuo *Fideles* audiabant. Ergo quum scissum tunc esset credentium vulgus in *Catechumenos*, & *Baptizatos*, non supervacaneum fuit de Baptismo percepto fieri mentionem in hoc marmore.

Age vero quorsum spectat participium illud *constitutus*, quod cum *Fide* jungitur? Quia *Fidei* notio, quam antiqui illi animo conceperant, *sæcis* i. e. *Statum* quemdam complectebatur: quod totum quale sit, præstabit id alio (b) loco expendere, quam heic lectorum longa oratione enecare.

Po-

(a) Ea mihi semper una ex dilationis illius causis vita fuit, quod magna apud antiquos Baptismi existimatio erat; quippe qui ex Pastoribus didicissent, post lacrimum innocentiam præstari oportere; non quod lapsis post fidem spes nulla superesset, verum quod altera illa post naufragium tabula, arduum sane negotium, ac plenum laboris haberetur.

[b] Clemens Alexandr. in Strom. iv. etymologiam vocis *Πίσις* [latine *fides*] hanc esse tradit, ut sit *περὶ τὸν ὄντα σάσις*, h. e. circa id, quod (natura sua) est, status. Falsam quidem hanc esse etymologiam, ne.

mo non videt. Verum ex ea saltem intellegitur, quenam fidei notio antiquorum mentibus insedisset. Clementi concinit Theodoretus *θεοπατ.* serm. v. ubi fidem esse ait *περὶ τὸν ὄντα σάσις*, quod idem significat. Atqui ea, inquis, phraseologia ad virtutem *fidei*, non ad Baptismum pertinet. Imo, inquam, etiam ad *fidem*, qua Baptismum notat, ea loquendi genera sunt referenda; quod pluribus ostenderem, si necesse id esset. Quamquam ceteroqui in hoc marmore *Fides* potest utrumque complecti, tum *Fidei* virtutem, tum etiam sacramentum.

Postremo pro *Fide constitutus* scribi *Fidelis* potuisset. Non id eo inficias. Verum longe aliud consilium auctori hujus Epigrammatis insederat: cui propositum fuit tum *Pacis*, tum etiam *Fidei* vocabula una syntaxi nectere. Nam si quid video, uno spiritu legendum est in hunc modum: *In pace & Fide constitutus*. Nec equidem copulam *Et* de meo heic admetior; verum latet illa in complicato elemento **F**, in quo (uti opportune me admonuisti, Georgi eruditissime) quatuor sunt transversariæ lineaæ parallelæ. Quocirca hoc monogramma tria elementa complectitur, E, T, F. Prima littera ex recto hastili, & tribus inferioribus transversariis confit: altera, h. e. T. ex eadem recta ad perpendiculum linea, & ex supra transversa componitur: postrema item ex eadem, quam sepe dixi, hasta, & ex duabus transversis superioribus compingitur. Ita constabit illud & *Fide*. Quum ergo auctori hujus elogii propositum fuisset *Pacem*, atque *Fidem* una communi syntaxi copulare; necesse habuit unum aliquid participium subnectere, quod cum utroque, potissimum autem cum vicinore apte cohæreret. Nec aliud placuit, quam *constitutus*, ob eam causam, quam supra indicavi, aut quam mox dabimus.

Est enim animadvertisendum, ex copula *Et*, quam in monogrammate delitentem in apertum produximus, necessario sequi, illud *In Pace* non tam referri ad *Requiescit*, quam ad sequentia: sed ita tamen, ut totum hoc membrum *In Pace & Fide constitutus* referatur rursus ad *Requiescit*. Hoc enim ordine procedit elogium: *Hic requiescit constitutus in Pace & Fide*, h. e. non tantum per *Fidei* Sacramentum inter Fideles aggregatus, verum etiam *Pace Ecclesiastica* fruens, Dominicique Sacramenti particeps. Ut autem quo dixi modo quis inter Fideles constitueretur, non tantum *Fidei* Sacramentum, veluti janua, verum etiam *Pax Ecclesiastica*, tamquam glutinum, & ferruminatio requirebatur. Quo loco *constituendi* [h. e. τὸ σύνσαρθμο] verbum *ferruminandi*, & agglutinandi notionem complectitur.

Ac videbar haec tenus sic rogatus dixisse sententiam, ut etiam Tibi causam probasse me crederem. Verum ut ut Tibi, aut aliis satisfecerim, mihi certe ipse nondum plane feci satis. Nam hæret adhuc in versu ultimo nodus vindice dignus. Quid enim illud sibi vult: VIXIT ANNVS PL MS. xxv.? Ac primo sane intuitu videbatur hoc legendum in hunc modum: *Vixit annos plus minus xxv.* Utinam vero, Georgi eruditissime, res ita se habeat: nam ab ulterioris inqui-

inquisitionis cura liber evaderem. Nunc, nisi vehementer fallor, nec illud MS (*a*) potest significare MINVS, nec, in quo caput est, portentosum illud monogramma simul cum sequente L potest exhiberi PLVS. Nam si elementum, quod ante L ponitur, simplex esset P; quis dubitat, quin cum adjuncto L vocis PLVS index futura esset? Nunc vero non temere id est, quod littera illa P non simplex est, sed composita, & ita quidem composita, ut quocumque modo resolvatur, numquam ex ea, & sequente L vox PLVS extundi possit.

Ac de eo monogrammate, quod nusquam alibi reperitur, sic sentio. Puto igitur, hac insolita nota duas contineri litteras P, & M. De priore non est dubium: de posteriore tota est difficultas. Scendum est autem, litteram M, praeter usitatum scribendi modum, reperiiri interdum sic depictam, ut simillima plane sit $\tau\hat{\phi}$ [m] minusculo, quod hodie usurpatur. Nec enim hujus litteræ minusculæ forma heri, aut nudius tertius prodiit, sed haud raro in marmoribus (*b*) occurrit. Quo circa monogramma, de quo quærimus, resolvendum est in P erectum, & in [m] minusculum, non quidem stans, sed jacens in hunc modum [m].

Aut

(*a*) Ajo notam MS numquam pro minus usurpari: cujus rei inscriptiones, quacumque viderim, in quibus illud PLVS MINVS usurpatur, testes advoco; in quibus illa formula sive integris litteris notatur, sive in hunc modum PL. M. sive P. M. sive postremo junctim PM. sive medio punto, aut PM cum superposita lineola.

Quod autem ad posteriorem formulæ vocem MINVS at tintet; eam semel tantum duabus litteris perscriptam reperi, quarum posterior non sibilum, sed N fuerit, ito modo MN. Sic enim reperio apud Fabretum pag. 589. num. 200. VIXIT ANNOS PLVS MN. TRIGINTA.

Cur vero MINVS per MN notari, non autem per MS potuerit, ea est causa, quia solebant interdum syllabatim verba concidere, ac puncta interjecere, ut COM. PA. RA. BE. RVNT. pro comparaverunt. Ab eo factum, ut ubi vocem aliquam per primores litteras notare voluisserint, haud raro primas uniuscujusque syllabæ litteras signaverint. Sic illud apud Reines. Cl. xx. 57. Q. C. P. R. B. R. sine dubio significat quem comparaberunt, uti constat ex inte-

gro QVEM COMPARAVIT, quod sequitur. Ac frustra sim, si hujus moris exempla congerere satagam, quæ sunt innumera.

Sed & primores syllabarum littera continua serie sine interjectis punctis notabantur, ut BNF. est Beneficiarius; BNV. Benenvolo; DM. Dormit; DMN. Domini; DP. Depositus (sicuti & DPS) MERTB Merentiibus, & BMT. Benemerenti; SD. Sedit; SQ. Sequitur &c. Quas notas in uno Fabretto deprehendi, plures in Grutero, & aliis, si modo admittar, deprehensurus. Ob eam causam vox MINUS non per MS, sed per M, aut MN. scribi debuit. Et ob eamdem causam $\tau\hat{o}$ MS. non MINVS sed Mensis significabit, quia in voce Mensis $\tau\hat{o}$ S prior est posterioris syllabæ littera.

(*b*) Apud Fabretum pag. 558. num. xxxi. huc ipsa formula cum parvo [m] perscripta in hunc modum aNNoRVM PLVS MINUS XX. Item pag. 577. num. LXVII. idem elementum [m] octies scalpitur. Quod & alibi reperire memini. Hujus autem minusculi genesis ex majore M oritur, duabus scilicet mediis lineis in unam coeuntibus.

Aut vero potius hoc idem elementum majuscula & consueta quidem forma effigiatur, nisi quod jacens in hunc modum Σ , nempe ut Sigma græcum. Quo id modo? Nimirum si ex duabus monogrammatis inferioribus transversariis, & medio litteræ P semicirculo (qui revera rotundus non est, sed in angulum artatur, non secus ac in Σ) confiat illud Σ jacens. At, inquis, quid postea tertia superiore transversa linea fiet? Ex ea inquam, simul cum illa hastilis parte, quæ sursum longius excurrit, fiet L: quam litteram sculptor necessariam putavit, ut simul cum P, clarius notaret vocem PLVS. Atque hæc demum interpretatio verissima est. In hoc enim litterarum nodo reperitur PL; itemque Σ jacens, ut vel festinanti significationem ingereret formulæ PL. M. i. e. *Plus minus*.

His intellectis, jam simul illud efficitur, ipsum per se monogramma complecti consuetam formulam *Plus minus*: quæ quidem formula plurimum duabus his tantum litteris PM (& quidem nullo sœpius intercedente (a) puncto, nec raro superposita (b) lineola, quasi si una sit vox composita) scalpi solet. Quod si P illud complicatum non aliud significat, quam PLVS MINVS: consequens fit, sequens L esse notam quinquagenarii numeri, ita ut vixisse dicatur Hilarus *Annos plus minus quinquaginta*. Postremo quod sequitur MS, consuetam habet *Mensum* significationem.

At heic vereor, ne ludibrium plerisque debeam. Quis enim umquam sic loquitur? *Annos plus minus quinquaginta*, *Menses xxv.* Est ne quisquam tam stipes, ut annis quinquaginta adnumeratis, ubi ad Menses ventum fuerit, quinque & viginti admetiatur? Cui si mens non læva fuisset, næ is scribere debuissest *Annos lxx. Mensem I.* Huic objectioni haud sane aliud respondere posse videbar, quam sculptori litteram D medium excidisse, proinde scribere in animo habuisse *Menses x. d. xv.* Ita unius litterulæ additione (quam lapicida somniculosus omiserat) epigramma suæ sanitati restitueretur.

Ve-

(a) Sæpe quidem illud solemne PLVS MINVS ita per duas primores litteras scribitur, ut punctum interponatur; & sœpe etiam junctum PM sine punto medio. Sic enim junctum legitur apud Reines. Cl. xx. num. 61. 97. & 287. in quo ultimo titulo continua serie etiam notæ arithmeticæ adscribuntur [non secus ac in nostro marmore] sic ANNVS PMXX. Sed & in Fabretto, & aliis sic haud raro reperias; sicuti & una

continua serie PLM. apud Reines. Cl. xx. num. 271. & 318. At eadem Cl. num. 367. notæ PLM. junctim positæ etiam lineola superponit; quæ linea jungendi potestatem habet.

(b) PM junctum scripto, etiam lineola superne adpingitur apud Reinesium Cl. xx. num. 66. 197. & 342. & apud Gruterum, & alios haud raro. Atqui ea lineola, usi modo notavimus, juncitura servit.

Verum quid si nihil sit addendum? Nam videtur tituli hujus auctor studiose ænigmata consecutatus, atque id operam dedisse, ut crucem, si non symmystis suis (qui probe hunc morem callebant) at certe gentilibus, & posteritati figeret. Age experiamur, num quid vaticinando possim; an contra heic demum *me Phœbi cortina fellit.* Tertullianus ille, qui se huc usque minime superbum, sed contra facilem ad respondendum se mihi præbuit, in lib. *de Monogamia* cap. xi. sic posuit: *A fide enim (i. e. ex Baptismi tempore) etiam & vita nostra censetur.* Quod usque adeo verum est (uti Tertullianus ibidem ratiocinatur) ut qui plures ante Baptismum uxores habuisset, quam post Baptismum duxerit, ea illi prima uxor censeatur. Itaque huic principio innexus auctor Epigrammati hujus scorsum adnotavit, quantum ætatis noster Hilarus post Baptismum decurrerit. Quo circa prior summa annorum novem & quadraginta sive ad totum vitæ spatium pertinet, sive [quod est omnino verius] ad vitam ante Lavacrum exactam: posterior autem ad spatium post fidem transactum est referenda. Hanc vero alteram suminam, utpote breviorem, maluit in menses, quam in annos colligere, etiam discriminis causâ. Verum age, me uti vatem mendacissimum traduci non pigebit, quam diu testes, ac tabulas non produxero. Habeo autem testes locupletissimos duos Fabretti Christianos titulos: in quorum uno [pag. 577. num. lxx.] quoto anno Pascasius Baptismum perceperit, deinde quoto post Baptismum die Albas suas ad Sepulcrum deposuerit, selenulo adnotatur: in altero vero [qui magnopere huc facit] de Kampano Marito uxor Euphrosyna sic scriptum reliquit: *Qui vixit mecum h. e. in Conjugio* an. (a) *bene xii. Menses duo Dies v. Perit ann. xxxv.* [hæc totius vitæ summa est: sequitur vitæ tempus post Baptismum] *Ex die acceptiones.* [pro acceptonis] *sua vixit dies LVII.* Hoc tantum discriminis inter Fabretti marmor, nostrumque reperio, quod in eo diserte describitur: *Ex die acceptonis sua &c.* hoc autem in nostro subaudiendum relinquitur. Nec plura de hoc quantivis pretii titulo, cuius exemplum ad me benigne submitti voluisti, addere est animus, ne plane obtundam.

Illud vero, Vir Clarissime, me in tua ad Cangianum nostrum Epistola, præter cetera delectavit, quod ex ea intellexi, Beatissimum Patrem BENEDICTUM XIII. ævo immortali dignissimum, inter-

(a) Respondet ne istud *Bene* phrasí italicæ *Ben dodeci*, & quod ex Historia Cœtiorum citat Cangius *Bene quadrigeniti venerunt, Bene centum fuerunt interfici?*

An refertur ad *Mecum*, ut idem sit, quam *fine querela, fine jurgiv &c.* quæ trita sunt in *Conjugum elogiis.*

gravissimas Apostolatus sui curas, non tantum acroamata ista, pro ea, qua pollet, omnijuga eruditione, peramanter fovere, iis libenter admovere aures, deque his frequentes cum sapientiae cultoribus, quibus Aula stipatur, sermones ferere; verum etiam dum in specula positus, in omnium Ecclesiarum sollicitudinem, quam qui maxime incumbit, eundem interea ita totum in his antiquis amori- bus suis esse, quasi si id unum ageret. Quod tametsi minime obscurum mihi antea fuerat; tamen volupe fuit id ex Te potissimum cognoscere, qui perdius, ac pernox ad Pedes Illius (sive ut Gamalielis Paulus, sive ut Maria Christi) assides. Et hoc igitur seculi nostri felicitati adscribendum censeo: quam tum demum futuram longe maximam auguror, si ut Ille ad omnes promovendarum litterarum occasiones intentus, nihil sibi ad erigenda jacentia bonarum artium studia reliquum facit, ita nos vicissim paternae ejus caritati impensis obsecundemus. Valebis, Georgi amantissime, meque aliquando, impetrata ab Apostolico Sanctissimo benedictione, recreabis.

Neapoli postrid. Id. Januarii An. 1745.



I M P R I M A T U R

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii
Apostolici.

F.M. de Rubeis Archiep. Tarren. Vicegerens.

I M P R I M A T U R.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi Ordinis Præd. Sacri Palatii
Apost. Magister.